



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Tractatus De Statu Hominis Morali In Vita Et Post Mortem

Opfermann, Paul

Moguntiae, 1769

Quæstio III. Utrum omnes Dei apparitiones in V. T. Angelorum ministerio  
factæ fuerint?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40701**

arcent. Sed num ideo nullus omnino Christianorum à dæmone infestari possit Deo id permittente? an forsàn animæ Fidelium ab immundis spiritibus continuò non infestantur? cur vexari corpora nequeant? de casibus quibusvis particularibus certi quid statuere tametsi arduum & difficile sit; negare tamen omnes effectus veros à dæmone productos, propè insipientis est.

*Inst.* Igitur veræ quoque & corporales erunt Sagarum ad sua conventicula translationes. *Resp.* Sagas & striges, ubi ad alia sese loca transferri autumant, sapissime decipi, dæmone phantasiæ & sensibus illudente, haud ægre cõceditur. Aliquando tamen veras hujusmodi translationes fieri testatur non constans solùm ipsorum maleficorum confessio, sed varia etiam aliorum experimenta, quibus fides sine temeritate negari vix potest.

### Q U A E S T I O III.

*Utrum omnes Dei apparitiones in V. T. Angelorum ministerio factæ fuerint?*

32. **N**on una hìc Ss. Patrum, & interpretum est sententia. Alii enim censent, Verbum divinum semper apparuisse, adeo ut, quotiescunque Angelus loqui dicitur, per Angelum interpretentur Christum, qui idcirco *Isa 9. magni consilii Angelus* dicatur. Ita S. CHRYSOSTOMUS *Hom. 16. in Acta*, Angelum, qui *Moyse* in rubo apparuisse dicitur, intelligit Filium Dei, & magni consilii Angelum. Alii contra existimant, Deum nunquam apparuisse ante Incarnationem in corpore immediate, & per se

se assumpto ab ipso Deo, vel aliqua divina persona, sed mediante aliquo Angelo.

Omnes Dei apparitiones in V. T. Angelorum ministerio factae sunt, ita ut neque Deus, neque Trinitas, neque ulla ex personis divinis aliquando per se, & immediate corpus adsumpserit, sub quo hominibus appareret, vel immediate loqueretur. Nam Act. 7. v. 30. de Moyse testatur S. STEPHANUS: Apparuit illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi: & v. 30. Hic est, qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, & cum patribus nostris. Idem docet Apostolus ad Gal. 3. Lex . . . ordinata per Angelos: & ad Hebr. 2. Si enim qui per Angelos dictus est sermo, factus est firmus, & omnis prævaricatio & inobedientia accepit justam mercedis retributionem: quomodo nos effugiemus, si tantam neglexerimus salutem, quæ cum initium accepisset enarrari per Dominum ab eis, qui audierunt, in nos confirmata est? ubi Apostolus ex eo digniorem Evangelicam legem esse arguit, quòd hæc à Christo, illa per Angelos lata fuerit & promulgata. Sic etiam ad Hebr. 1. c. significat idem Apostolus, novi Testamenti prærogativam singularem esse, quòd in isto Deus ipse in assumpta Humanitate nobis locutus fuerit. Multifariam multisque modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: novissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit heredem universarum, per quem fecit & sæcula. v. 1. & 2. q. d. Tantum Veteri Testamento per Angelos dato novum per Christum datum præfertur, quòd Christus Angelis dignior est. Præterea in Sacris Paginis Deus

sæpe dicitur locutus per Angelos, & quidem apparitiones gravissimæ leguntur factæ per Angelos; dum verò Deus apparuisse dicitur, non ideo excluditur ministerium Angelicum, proinde hujusmodi apparitiones prioribus hand absimiles censi debent, præsertim cum ex regula Ss. *Dionysii*, & *Augustini* Deus res medias per supremas, & infimas per medias, ubi convenienter fieri potest, soleat administrare. Unde S. *DIONYSIUS* de *cælest. Hier.* c. 4. *Hujusmodi*, inquit, *divinas visiones celserrimi illi Patres nostri ministerio cælestium virtutum edificabant.* S. *AUGUSTINUS* L. 4. de *Trin.* c. ult. ait: *Siquis à me quærat, quomodo factæ sint sensibiles formæ ante Incarnationem Verbi Dei, quæ hoc futurum præfigurarent? per Angelos ea Deum operatum esse respondeo.* Idem docent S. *GREGORIUS* in Præfat. *Moral.* c. I. L. 28. c. 2. S. *HIERONYMUS* in illud ad *Gal.* 3. *Ordinata per Angelos.* S. *CYPRIANUS* *Serm.* de Baptismo Christi sic habet: *Deus olim locutus est per Angelos Sanctos, quibus ad diversa sæpe ministeria legatio est injecta.*

*Respondetur ad objecta.*

*Obj. I.* Hæc consecutio est nulla: *Deus sæpe apparuit interventu ministerii Angelici; ergo semper ministerio Angelico usus est.* *Resp.* Non ista, sed hæc est nostra argumentatio: Deus in Scriptura disertè legitur apparuisse per Angelos: in nullo Scripturæ textu ministerium hoc Angelicum excluditur; cum igitur aliunde constet Deum infima per media administrare consuevisse; dicendum est Deum  
semper

## NATURAE ANGELICAE. 71

semper fuisse usum Angelorum ministerio, quandoque in V. T. hominibus sensibilibus locutus est, vel apparuit. Qui quidem discursus confirmatur ex Apostolo ad *Hebr.* I. & 2. c. N. T. prerogativam præ Veteri ex eo confirmante, quòd in illo Deus ipse per se & immediatè nobis fuerit locutus.

*Inst.* I. Cur Angelorum nomine, per quos Deus in V. T. locutus dicitur, intelligi non possit Filius Dei, qui magni consilii Angelus est? *Resp.* Huic acceptioni obstant verba Apostoli ad *Gal.* 3. *Lex ordinata per Angelos:* etenim Apostolum loqui de veris Angelis manifestè constat ex 1. c. ad *Hebr.* ubi Angelis præferens Christum ait: *Tantò melior Angelis effectus, quanto differentius nomen præ illis hæreditavit.* Et de illis eod. c. *Omnes sunt administratorii spiritus.*

*Inst.* 2. Esto, in lege ferenda ministerium Angelorum intervenerit: at solùm interfuerunt Angeli tanquam testes, & ministri facientes signa, uti sonitum tubæ, &c. sicque Deus ipse adhuc immediatè & per se apparuit. Ita S. CHRYSOSTOMUS & THEOPHYLACTUS. *Resp.* Amplius ministerium expressit Apostolus, cùm dixit: *Si enim, qui per Angelos factus est sermo;* proin Angelorum ministerium fuit facere sermonem, & formare voces, per quas lex illa est lata, & promulgata. Unde S. CYRILLUS L. 8. *Thef.* c. 2. *Angeli legem administrarunt, per eos enim dictata est; Filius vero Evangelium predicavit.*

*Obj.* II. Nimis aperti sunt plures Scripturæ loci, quàm ut negari possit Deum ipsum apparuisse. *Resp.* Apparuit Deus non immediatè & per se, sed medi-

diatè, nec sine Angelorum interventu: quamvis & istæ apparitiones vocari divinæ possint, quatenus Angeli Dei nomine apparentes, gerentesque vicem Dei, consilia divina annunciarunt. Proinde discernere juvat apparitiones divinas ab illis, quæ purè Angelicæ sunt. Generatim itaque si verba sint ejusmodi, quæ ad solum Deum relata verificari possunt; Deus ipse est, qui apparere dicitur per Angelos. Sin de Angelo sufficienter verificantur; non Deus, sed Angelus est, qui in propria persona, & suo nomine apparet. Sic dum *Gen. 1.* dicitur: *Benedixit illis Deus, & ait: crescite, & multiplicamini.* Et *c. 2.* *Tulitque Deus hominem, præcepitque ei, dicens.* Et *c. 3.* *Cùm audivissent vocem Dei ambulantis in paradiso; & infra: Vocavitque Deus Adam.* Item *Gen. 4.* *Dixit Dominus: ubi est Abel frater tuus; istæ & similes apparitiones divinæ censentur, quia licet Angeli apparuerint; attamen in Dei persona locuti sunt, eo ferè modo, quo Sacerdos celebrans, in Christi persona dicit: Hoc est Corpus meum; aut in Judicio sacramentali: Ego te absolvo.* Huc etiam refer visionem *Jacobi Patriarchæ Gen. 28.* *Vidit Dominum innixum scala dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham.* Item illa facta *Abrahæ Gen. 18.* *Apparuit ei Dominus in convalle Mambræ sedenti in ostio tabernaculi sui . . . Cùmque elevasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eum: quos cùm vidisset, cucurrit in occursum eorum . . . & adoravit in terra.* In quem locum *S. AMBROSIIUS L. de Fide resurrectionis* sic habet: *Abraham Trinitatem in typo vidit, tres suspiciens, unum adorans, & personarum distinctione serva-*

servatâ, unum tantum Dominum nominabat, tribus honorificentiam muneris deferens, & unam significans potestatem: loquebatur enim in eo non doctrina, sed gratia, & meliùs credebat ille, quod non didicerat, quàm nos, qui discimus. Apparitio autem purè Angelica fuit illa *Raphaëlis Tobiam* comitantis: nam licet jussu & voluntate Dei *Raphaël* apparuerit; hæc tamen apparitio nomine, autoritate, & in persona Dei facta non fuit.

*Inst.* In Concilio SYRMIENSI can. 14. & 15. sub anathemate traditur, *Filium fuisse, & non Patrem, qui Abrahæ apparuit, & qui cum Jacob luctatus est.* Ergo. *Resp.* Illud Hæreticorum conciliabulum fuit: istorum verò canonum autoritas eatenus sustinetur, quatenus errorem *Photini* hæresin *Sabellii* restaurantis proscripserunt. Præterea Patres nonnullos existimasse, quòd Filius Dei in V. T. visibiliter apparuerit hominibus, ultro fatemur. Denique notandum, *apparendi* verbum àmbiguum esse, cùm etiam possit esse apparitio tantùm *auricularis*, veluti *Exod. 20 & 1. Reg. 3.* Immo de ipsa locutione non satis constat, an exterius sensibilis fuerit, aut *imaginaria*, vel *intellectualis*, ut notat S. AUGUSTINUS L. II. de *Gen. ad lit. c. 33.* Et S. BASILIUS Dei locutionem *Isa. 7.* de *imaginaria* exponit. Quin tamen sæpe visibilis, & exterius aspectabilis fuerit, dubium non est.